


SCHNITZLERUS  
DE RERUM  
PUBLICARUM  
MUTATIONE

Wittebergae 1658

RMr. III.

450





Am 3 Row - Katelyd

Müller 9/3 get

R. M. Jr.

III. 480.

Subs III Kat 2044. 1/2 -





Acta 1 Ros

numm. 2/3 qu

Collegii Publici Secundi

*Disputat. XII. & penultimam*

*De*

# Rerumpublica-

rum mutatione,

*PRÆSIDE*

MICHAELE VVENDELERO, D.

P. P. & p. t. Decano,


*publicè proponit*

JACOBVS SCHNITZLERVS,

Cibinio Transylvanus,

*Ad diem XXX. April. horis antemeridianis,*

In Auditorio Minori.



VVITTEBERGÆ,

LITERIS JOHANNIS HAKEN, ANNO MDCCLIX.

*Handwritten vertical text on the right margin, possibly a library or collection stamp.*





Continuatio.

THESES.

1. **H**ic usque de Imperantibus & Subditis, nec non de Instrumentis, per quæ Summa Potestas imperat. Tandem nobis agendum erit de *Rerump. mutatione & conservatione.*

2. Mutatio, seu corruptio, reipub. in genere vocatur, quando una respub. mutatur in aliam, sive in bonam, sive in malam mutetur; quamvis specialiter *φθοράι*, seu corruptiones, 8. *Ethic. c. 12.* à Philosopho vocentur & tantum *παραβιάσεις*, seu transgressiones, hoc est, resp. ex rectis prolapsa.

3. Mutatio reip. in specie ita dicta est, quando *forma administrationis alicujus reip. mutatur in aliam formam.* Per formam intelligimus non tantum essentialē, sed quoque accidentalē. Nam gemina reip. habetur divisio; quarum una desumpta est à numero imperantium, altera à fine reipub.

4. Ergò respub. mutatur 1. quando recta in corruptam, aut hæc in illam degenerat. 2. Quando recta una mutatur in aliam rectam, formaliter diversam, aut corrupta in corruptam, etiam forma à priori differentem.

5. Præter hos duos mutationis modos datur etiam alius, sed improprie dictus, scilicet quando idem reip. status manet, sed in modo administrandi aliqualis fit mutatio. Fit hoc, vel quando eadem quidem imperandi forma manet, sed ea magis intenditur & remittitur; vel quando numerus imperantium in Aristocratia, aut Oligarchia, vel augetur, vel minuitur; vel quando judiciorum aut magistratum numerus crescit & decrescit; vel denique quando rex, qui more regis reipub. regebat, nunc more Aristocratico administrare incipit, aut optimi regio more administrant.

6. Causa mutationis 1. est vel *Interna*, vel *Externa*. Quam divisionem non tantum Philosophus *lib. 5. cap. 4.* sed etiam *Livius lib. 3. & Polybius lib. 2.* agnoscunt. Nam duos constituunt hostes: alium, qui foris est, hoc est, externum, aliumque domesticum, seu internum. Imò ipsa res loquitur, internis atque externis modis reipub. mutari posse.





7. Interna mutationis causa est, quando *respub. mutatur ab eis, qui in repub. illâ vivunt*; & dividitur in *Spontaneam*, quando *respublica sponde & cum gratiâ tum imperantium, tum parentium, mutatur*, & *Invitam*, quando *respub. mutatur, vel per fallaciam, vel per vim.*

8. Spontanea mutationis causa est liberum arbitrium *Magistratûs & Subditorum*. Quæ mutatio fit duobus modis: 1. Quando imperantes vel imperio se abdicant, vel ut imperium efficiant stabilius, de summâ potestate aliquid remittunt, atque ephoros in potestatis recipiunt partem. 2. Quando subditi, urgente necessitate, ad evitandum majus aliquid malum, se peregrini cujusdam magistratûs fidei committunt.

9. Invitarum causarum in genere facimus *fallaciam & vim*. Per fallaciam interit imperium, quando plebi, vel universo populo, tum callidè imponitur, ut, quod fit, fieri non sentiat. Philosophus *lib. 5 Polit. c. 8.* in genere vocat τῶν πολιτικῶν σοφισματα, hoc est, *rerumpub. sophismata, seu fraudes*. Nam cum summa potestas cum invidiâ sit juncta; ideoque nonnunquam novis quibusdam institutis opus est. Quæ licet quandam iniquitatem præ se ferre videantur, ad hæc tamen connivendum est imperandi gratiâ.

10. Vis interna, quæ *respub. perdit, est civium seditio*. Oritur hæc ex diversâ civium de jure, seu æqualitate, sententiâ. Omnes quidem videri volunt, se quære æqualitatem, in æqualitatem autem averfari. Sed cum non omnes æqualitatem illam eodem modo æstiment, hinc fit, ut ex illo sententiarum discrimine inter ipsos cives orientur dissensiones. Nam alii æqualitatem æstimant secundum numerum, alii secundum dignitatem.

11. Seditionis causæ sunt *contumelia, avaritia, ambitio, excellentia aut nimia potentia, metus, incrementum alicujus ordinis civium, sordida imperantium conditio, eorundem negligentia, modicum, δια τὸ μὴ ὀυδύλον, id est, quia cives non sunt ejusdem gentis, situs civitatis, seu vicinitas, dissensio principum in civitate, felix successus aliquorum civium, Et tandem quando inter cives, potentia & viribus pares, oritur emulatio, ita ut omnes volint simul imperare,*



12. Externa mutationis causa est, quando *res* mutatur ab *illis*, qui extra rempub. illam vivunt. Fit hoc, quando respub. alterius formæ, seu sit vicina, seu remota. aliam cuidam populo inducit formam.

13. Causa mutationis II. vel est *Communis*, vel *Propria*. Illa ad omnes formas, hæc ad hanc vel istam formam tantum, refertur. Vtraque potest esse tam *intrinsicæ*, quam *extrinsicæ*. De communi egimus; de particulari, seu propria, quæ sciri debent, illa in Practicâ Philosophiâ p. 762. & seq. copiosè explicantur.

14. Plures, præter enumeratas mutationum rerump. cause non possunt dari. Hic primò occasiones à causis discernas necesse est. Nam illæ vi suâ mutationes efficere non possunt. Idem quoque observatum videmus ab Aristotele, qui cum aliquot mutationum causas proposuisset, non posse omnes occasiones ordine & brevibus verbis comprehendisciens, illas unico verbo indicasse contentus fuit, dum ait, etiam ex levissimis rebus sæpè conturbari, nec rarò funditus everti rempub. solere.

15. Deinde causas fictas à veris separare oportet. Fictarum non paucas proferunt, quas sumunt vel à numeris, vel à rebus. Qui rebus mutationum causas ascribunt, aut *fatum*, aut *res* quasdam *particulares* proferunt. Res particulares vel sunt *supra*, vel *infra Lunam*. In cælo urgent vel certum *astrorum*, *positum*, vel *duorum luminarium eclipses*. Qui in elementorum regione causas quarunt, aut *Cometas aërios* citant, aut *evolutionem Eccentrici*, aut *terræ motum*. Plato lib. 8. de repub. urget *numeros perfectos*.

16. Nos dicimus, *Fatum Stoicum* esse injurium in Dei bonitatem, omnipotentiam & providentiam. Cæli virtus est quidem efficax in corpora naturalia, sed non in voluntates hominum. Conjunctiones quamvis magna producant mala, non tamen semper rerump. mutationes demoliuntur. Idem iudicium sit de Eclipsibus & Cometis. *Revolutio Eccentrici* est non-ens. *Terræ motus* per accidens est causa. *Numeri* tandem *Platonici* sunt obscurissimi, quorum sensum nemo unquam apprehendere potuit.











